UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 15. Signum Ionæ. Detrudit Christus superbos illos in profundum, qui cœlum scandere nitebantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

multa, habentes ſecum, mutos, cæcos, claudos, debiles & alios multos, &c. Et curauit eos, ita vt turba mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, & cæcos videntes. His miraculis teſtatur Euangeliſta impletum illud Iſa. *Infirmitates noſtras ipſe portauit.* Omnes erat auferens; Et hoc dixit D. Zacharias D. Ioan. Baptiſtæ pater, quando Deo grates pro accepto beneficio referebat digniſſimas, nempe illo, quod toti mundo filium ſuum miſerat jam incarnatum: *Et erexit cornu ſalutis nobis.* q.d. Mittens filium ſuum in mundum, omnem Dei potentiam & robur poſuit in illo, ſed quam potentiam exequetur in noſtrum commodum & ſalutem, quicquid enim operabitur, loquetur, aget, tractabit, patietur, in noſtram cedet redemptionem: & hæc eſt optima Chriſti definitio. *Cornu ſalutis.* Fortitudo, armamentarium, officina ſalutis vniuerſalis, in hoc tanto quanto præſtat robore, vtetur, & in ipſo, quocumque remedio quis indiguerit, illud inueniet.

Iſ. c. 53. 4.

Luc. 1. 69.

In hoc deberet Princeps Chriſtianus, Dux, comes, nobilis, illuſtris oſtendere ſuam potentiam, patefacere auctoritatem ſuam, nimirum in proximi commodum, non vt taurus, deperdendo veſtes, togas, quinimo & homines in aere: opes diſſipando, mommios erigendo, famulos delaſſando, ipſos mille periculis exponendo, idque in aere, ob laruas tuas, ludos, nolarum tinnitum, choreas &c. Quot domos cernis euerſas? quot opes plangis diſſipatas? quot familiarum ſtatus luges in præceps corruiſſe? Dicito tu mihi: in quibus ſunt hæc expenſa? In aere. O flagris digniſſime: vertatur obſecro robur tuum, cornu tuum vt Vnicornis in aliorum beneficium. Oculos conijce in hanc ciuitatem: ecce tot pauperum greges derelicti; pias aures arrige, ad tam luctuoſos gemitus captiuorum, qui, cum non ſint qui eos redimant de ſeruitute, quotidiano renegationis periculo exponuntur; ecce tot Eccleſiæ altaria debitis nuda ornamentis, tot viduæ deſolatæ, tot puellæ præ nimia indigentia lupanaribus proſtitutæ, tot orphani, quibus nullus adſit tutor fidelis: hic tuum patefiat cornu ſalutis illos tua confortet potentia, illos tua, qua præſtas auctoritas, tueatur.

§ IV. Dux habeat cornu Rhinocerotis.

§. 15. Signum Ionæ: *Detrudit Chriſtus ſuperbos illos in profundum, qui cœlum ſcandere nitebantur.*

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: ſicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Profundiſſima continent hæc verba ſacramenta, quæ notantur à SS. Patribus. Illud tantum aduerto, quod in ſuperficie ipſi detegunt, nimirum quod illos Chriſtus excipiat, vt ſolet, ſuperbos: quia, ſicut notat D. Greg. quo illi arrogantius ſuperbiebant, & criſtas magis attollebant, eo Chriſtus illos profundius deprimebat, Hoc etenim eſt illud D. Iacobi verbum: *Deus ſuperbis reſiſtit.* Quærit Lucifer altiſſima cæli conſcendere. *In cælum conſcendam.* Illum capit, & in profundiſſimam abyſſum demergit humiliandum. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Expendit autem D. Ambr. illud *increpaſti ſuperbos*, & D. Aug. quod de Lucifero hæc verba non tantum effatus ſit, ſed & in perſona ſuperborum omnium præſertim vero eorum, qui ei erant adeo ſimiles, vt ob hoc illis Chriſtus dixerit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Ac proinde cum illis agit, ſicut cum illo. Petitis ſigna de cælo, de altiſſimi illuc ne conſcenditis? Nulla igitur talia vobis dabuntur, ſed de profundo laci, de maris viſceribus, vbi Ionas ceti ventre concluſus morabatur, & de corde terræ, vbi virginis filius ſepelietur.

47

Lib. 32. mor. c. 6. & ſeqq.
Iac. c. 4. 6.
Iſ. c. 14. 64.
Pſal. 118.
Lib. 3. de doct. in. Chriſtian. c. 37.
Ioan. c. 8. 44.

Ita punit Deus ſuperbos, nedum illis non »
concedendo quæ deſiderant, ſed contraria eorum »
deſiderijs inordinatis. Conueniunt alij ſuperbis »
inflati cogitationibus, vt ſedem ſuam figant in »
ter ſidera, & turrim moliuntur, quæ cælos per »
uadat. Deſcendit Deus, & ex hoc ipſo illos eo »
modo confundit, vt de terra ſe ſurſum neque- »
ant eleuare. *Ita diuiſit illos Dominus ex illo loco in* »
uniuerſas terras. Quanto per turrim illam con- »
tenderunt aſcendere ſublimius, tanto Deus illos »
depreſſit in terra profundius. Eia age diuitiarum »
helluo, tu is aſcende ſublimis in cœlum votis, »
qui omnium diuitiarum gazas meditaris, ob hoc »
noueris, deſcendet Deus, vt te ad tam miſerandū »
redigat ſtatum, in profundū demerſum miſeria- »
rum, vt ne guttā aquæ ſitibundus obtineas. Eia »
age ventris tui idololatra, laxa tuarū habenas cu- »
piditatum, omnia diſcerpe, omnibus fruere, nec »
vllū corporis tui membrū ſuperſit, quod ſuis non »
gaudeat »

I. Deus ſuperbos humiliat.

Gen. c. 11. 8.

gaudeat deliciis: per hoc ad tam horrenda deſcendes cruciatuum tormenta, vt nullum tibi ſit futurum membrum, quod ſuos nõ patiatur cruciatus. *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit,*
Apoc. 18. 7. *tantum date illi tormentum & luctum.* Hoc probè imo malè experti ſunt Phariſæi, qui eo neruos omnes intendebant, vt in Hieruſalem, & terra promiſſionis firmam conſtituerent ſedem, loca ſua, honores, templum, ſacerdotium, & ſacrificia
Abdiæ. v. 3. perpetuo conſeruarent: ex hoc illos Deus in tam calamitoſam deiecit ſeruitutem: vt toto mundo oberrent vagabundi: *Superbia cordis tui extulit te &c. Si inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te.* Attende quid deſideres, vide quæ procures, quod ſi contra Dei legem quidquam moliaris, & tuis obedias concupiſcentiis ex hoc mihi crede, totum perdes, & in profundum omnium decides miſeriarum. Hoc erit tibi ſignum: mors mea, mea reſurrectio: me etenim veſtris manibus voluntariè interempto, meis ego manibus te ergam glorioſus. O quam efficax ſignum Chriſti mors! hæc quippe veſtram manifeſtabit malitiam, at eius in moriendo bonitatem. Non potuit tota mortalium malitia, addo, nec inferni, conſcendere altius, quam vt Deum ipſum ſacrilegi interimerent: quoniam peruenerunt peccata eorum vſque in
1. Theſſ. 2. 15. cœlum, *Et Dominum occiderunt Ieſum.* Dominum ſuum, ſaluatorem ſuum.

Fieri nequit vt nefandior patretur à ſeruo peruerſitas, quam ſi Dominum ſuum cruci configat ignominioſæ, ſed nec eminentior dari poteſt, bonitas, charitas ac miſericordia Dei, quam pro illis ipſis mori, qui eum morti tra-
Ioan. 15. 13. debant innocentẽ. Teſtatur prima veritas: *Majorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.* Hinc vero (clamat D. Bern.) vlt. progreſſa eſt, Chriſte tua charitas, cum
Rom. 5. 8. vitã tuam fuderis etiã pro inimicis. *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cũ adhuc peccatores eſſemus ſecundũ tẽpus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt:* ait D. Paul. Sicut enim præcipuũ futurum eſt ſignũ peruerſę veſtrę poteſtatis, mors mea: me in profundũ deiicere ſepulchri à mortis ceto deglutiri; ita præcipuum erit meæ ſignum poteſtatis, tertia die aſſurgere rediuiuum. Fuit hic nouus prædicationis partus Euangelicæ: fuerunt hæc ſigna cæteris præſtantiora. Cenſeo
Exo. 3. 34. hic impleri illud Exodi. Poſt vituli conflictilis idololatriam, precibus luctabatur Moyſes cum Deo, cui Deus: gradi nolo vobiſcum, te vos ſoli,
Exo. 34. 9. *Populus duræ ceruicis es vna die diſpergam te &c. Facies mea præcedet te.* O Domine Deus replicat Moyſes; *Si non tu ipſe &c.* Internecioni tradetur populus, actum eſt de illo, ſi non tu ipſe præcedas populum Ductor. Demum poſt quadraginta dierum ac noctium in monte ieiunium, & ſermonem cum Deo productum, quo tempore ei oſtendit *Poſteriora eius.* Repetit Moyſes ſuum thema: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, Domine, obſecro gradiaris nobiſcum,* & hoc eo modo, vt petierat: *Vt glorificemur ab omnibus populis.* Cui Deus; *Populus duræ ceruicis eſt.* Et hoc ipſum Domine iam noui; Verumtamen, hanc mihi (amabo) gratiam concede, *Reſpondit Dominus: Ego inibo pactum, videntibus cunctis ſigna faciam, quæ numquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iſte, in cuius es medio, opus Domini terribile, quod facturus ſum.* Quæ, precor, erunt hæc ſigna, maiora his quæ fecit in Ægypto grauiſſima, in Marath mirabilia, & in manna de cælo magnalia? Et aiunt Rabbanus ac Rupertus, adhuc maiora. Et, ni fallor, illud eſt, de quo Iſaias coram Achaz rege *Numquid paruum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Ecce dabit Dominus vobis ſig-* Iſai. 7. 13.
num: Ecce virgo concipiet. Partum enim nouum, id eſt Euangelium, omnibus gentibus: *Faciam ſigna quæ numquam viſa ſunt.* Et hoc ſignum, erit Chriſti mors & reſurrectio, in quo dedicatio Euangelii fundabitur. *Signum Ionæ prophetæ.* Quo populus iſte duræ ceruicis videat opus illud terribile, nimirum propriam experiatur reprobationem, de quibus alias latius diſſeremus.

§. 16. Viri Niniuitæ. *Omnes Niniuitæ, viri fuerunt, de quorum pœnitentia, & Reginæ Saba ſapientia conſcribitur aptum medecinale Recipe.*

Occaſione huius, prædicit illis Chriſtus eorum reprobationem, æternamque condemnationem, ad quam eis erunt Niniuitæ antigraphæi, & iudices condemnatores: quandoquidem illi, ad vnicam hominis incogniti comminationem, mari eiecti, ventre ceti eructati nullo alio præcurrente vel comitante ſigno, parum eſt quod crediderint, inſuper admirandam omnes ſubiere pœnitentiam, rege præeunte, vſque ad infimum gregis opilionem, a fortiſſimo vſque ad puellam tenerrimam, a ſene ætate decliui, vſque ad infantulum vtero vix natum: illi vero tot exhortationibus, tot ſignis confirmatis, non tantum ei non crediderunt, inſuper & eum eiurarunt, & peiores euaſerunt. *Viri*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN